

cessarium est, non tamen ad hujus temporis, sed ad illam æternam felicitatem assequendam. Cùm dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris*; nos admonemus & quid petamus, & quid faciamus, ut accipere mereamur. Cùm dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*; nos admonemus hoc petere, ne deserti ejus adjutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Cùm dicimus: *Libera nos à malo*; nos admonemus cogitare, nondum nos esse in eo bono, ubi nulum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum quod in dominica oratione positum est, tam latè patet, ut homo christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiat, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. His enim verbis res ipsas memoriæ nostræ commendari oportebat.

## CAP. XII.

22. NAM quælibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis vel præcedendo format ut clareat, vel consequendo adtendit ut crescat, nihil aliud dicimus quàm quod in ista dominica oratione positum est, si rectè & congruenter oramus. Quisquis autem id dicit quod ad istam evangelicam precem pertinere non possit, etiam si non illicitè orat, carnaliter orat: quod nescio quemadmodum non dicatur illicitè, quandoquidem SPIRITU RENATOS non nisi spiritualiter decet orare. Qui enim dicit verbi gratia: *Clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis*; & *Propheta tui fideles inveniantur*; quid aliud dicit quàm, *Sanctificetur nomen tuum*? Qui dicit: *Deus virtutum, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus*; quid aliud

Ecclesi. 36.4.

Ibid. 18.

Psal. 79.4.

aliud dicit quàm, *Veniat regnum tuum*? Qui dicit: *Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mei omnis iniquitas*; quid aliud dicit quàm, *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra*? Qui dicit: *Paupertatem & divitias ne dederis mihi*; quid aliud dicit quàm, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*? Qui dicit: *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus*; aut, *Domine, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala*; quid aliud dicit quàm, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*? Qui dicit: *Aufer à me concupiscentias ventris, & desiderium concubitus ne apprehendat me*; quid aliud dicit quàm, *Ne nos inferas in tentationem*? Qui dicit: *Erue me ab inimicis meis, Deus, & ab insurgentibus super me, libera me*; quid aliud dicit quàm, *Libera nos à malo*? Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies quod in ista dominica non contineatur & concludatur oratione. Unde liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere; sed non debet esse liberum alia dicere.

23. Hæc & pro nobis, & pro nostris, & pro alienis, atque pro ipsis inimicis sine fluctu dubitationis oranda sunt: quàmvis alius pro isto, alius pro illo, sicut se habent propinquitates vel longinquitates necessitudinum in corde orantis oriatur, aut excellat affectus. Qui autem dicit in oratione, verbi gratia: *Domine, multiplica divitias meas*, aut *da mihi tantas quantas illi vel illi dedisti*, aut honores meos auge, fac me in hoc sæculo præpotentem atque clarentem,

Psal. 118.

Phe. 133.

Prov. 30.8.

Ps. 131. 1.

Ps. 7. 4.

Ecclesi. 23.6.

Psal. 58.2.

tem, vel siquid hujusmodi est; & hæc dicit, eorum habens concupiscentiam, non id attendens, ut ex his secundum Deum prosit hominibus; puto eum non invenire in oratione dominica, quò possit hæc vota coaptare. Quamobrem pudeat saltem petere quæ non pudet cupere; aut si & hoc pudet, sed cupiditas vincit; quanto melius hoc petitur, ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus: *Libera nos à malo?*

CAPUT  
XIII.

24. HABES, quantum arbitror, non solum qualis ores, verum etiam quid ores; non me docente, sed illo qui omnes nos docere dignatus est. Beata vita quærenda est, hæc à Domino Deo petenda est. Quid sit beatum esse, à multis multa sunt disputata, sed nos ad multos, & ad multa ut quid imus? Breviter in Scriptura Dei veraciterque dictum est:

Psal. 143.  
15.

*Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius.* In ipso populo ut simus, atque ad eum contemplandum, & cum eo sine fine vivendum pervenire possimus: *Finis præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.* In eisdem tribus, pro conscientia bona spes posita est. Fides ergo, & spes, & caritas ad Deum perducunt orantem, hoc est, credentem, sperantem, desiderantem, & quæ petat à Domino in dominica oratione considerantem. Jejunia, & ab aliis voluptatibus sine salutis neglectu carnalis concupiscentiæ refrenatio, maximèque elemosynæ multum adjuvant orationem, ut possimus dicere: *In die tribulationis meæ, Deum exquisivi manibus meis, nocte coram eo, & non sum deceptus.* Quomodo enim Deus incorporalis & impalpabilis manibus exquiratur, nisi operibus exquiratur?

I. Tim. 1. 5.

AD-

Psal. 76. 3.

*In die tribulationis meæ, Deum exquisivi manibus meis, nocte coram eo, & non sum deceptus.* Quomodo enim Deus incorporalis & impalpabilis manibus exquiratur, nisi operibus exquiratur?

25. ADHUC est fortasse, quod quæras, cur Apostolus dixerit: *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus.* Neque enim ullo modo credendum est vel ipsum, vel quibus ista dicebat, dominicam nescisse orationem. Cur ergo putamus hoc eum dixisse, quod nec temerè potuit, nec mendaciter dicere, nisi quia molestiæ tribulationesque temporales plerumque prosunt, vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam exercendamve patientiam, cui probatæ & exercitatæ clarior merces uberiorque servatur, vel ad quæcumque flagellanda & abolenda peccata; tamen nos nescientes quid ista prosint, ab omni tribulatione optamus liberari? Ab hac ignorantia nec seipsum Apostolus ostendit alienum, nisi fortè quid oraret sicut oportet sciebat, quando in revelationum magnitudine ne extolleretur, datus est illi stimulus carnis, angelus satanæ, qui eum colaphizaret, propter quod ter Dominum rogavit, ut eum auferret ab eo; utique, sicut oportet, nesciens quid oraret. Denique Dei responsum cur non fieret, quod vir tantus orabat, & quare fieri non expediret, audivit: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.*

CAPUT  
XIV.  
Rom. 8. 26.2. Cor. 12.  
7.

Ibidem 9.

26. In his ergo tribulationibus, quæ possunt & prodesse & nocere, quid oremus, sicut oportet, nescimus: & tamen quia dura, quia molesta, quia contra sensum nostræ infirmitatis sunt, universali humana voluntate, ut à nobis hæc auferantur, oramus. Sed hoc devotionis debemus Domino Deo nostro, ut si ea non abstulerit, non ideo nos ab eo negligi existimemus, sed potius pia patientia malorum, bona speremus ampliora: sic enim virtus in infirmitate perficitur. NONNULLIS quip-

quippe impatientibus Dominus Deus quod pe-  
tebant concessit iratus, sicut contra Apostolo  
negavit propitius. Nam legimus israelitæ quid  
& quomodo rogaverint & acceperint; sed  
expleta concupiscentia, impatientia est gra-  
viter castigata. Dedit & regem petentibus se-  
cundum cor eorum, sicut scriptum est, non  
secundum cor suum. Dedit etiam quod dia-  
bolus postulavit, ut probandus ejus famulus  
tentaretur. Exaudivit rogantes & immundos spi-  
ritus, ut in multos suos legio dæmonum mittere-  
tur. Hæc scripta sunt, ne fortè se quisque  
magnipendat, si fuerit exauditus, cum aliquid  
impatienter petit, quod non impetrare plus  
prosit; aut se abiciat, & de divina erga se  
miseratione desperet, si non exaudiatur, cum  
fortè aliquid petit, quo accipiendo affligitur  
atrocius, vel à prosperitate corruptus penitus  
evertatur. In talibus ergo quid oremus, sicut  
oportet, nescimus. Unde si aliquid contra quàm  
oramus acciderit, patienter ferendo, & in  
omnibus gratias agendo, hoc potius oportuis-  
se quod Dei, non quod nostra voluntas ha-  
buit, minimè dubitare debemus. Nam & hu-  
jusmodi exemplum præbuit nobis ille Media-  
tor, qui cum dixisset: *Pater, si fieri po-  
test, transeat à me calix iste*; humanam in  
se voluntatem ex hominis susceptione trans-  
formans, continuo subjecit: *Verum non quod  
ego volo, sed quod tu vis, Pater*. Unde non  
immeritò per unius obedientiam justii consti-  
tuuntur multi.

27. Quisquis autem illam unam petit à  
Domino, & hanc requirit, certus ac securus  
petit, nec timet ne fortè obsit cum acceperit,  
sine qua nihil prodest quidquid aliud orando,  
sicut oportet, acceperit. *IPSA EST ENIM UNA*  
ve-

Num. II.  
33.

I. Reg. 8.  
7.

Job. I. 12.  
& cap. 2. 6.

Luc. 8. 32.

Matt. 26.  
39.

Rom. 5. 19.

Psal. 26. 4.

vera & sola beata vita, ut contemplerur Do-  
mini delectationem in æternum, immortales  
atque incorruptibiles corpore & spiritu. Prop-  
ter hanc unam cetera requiruntur, & non in-  
decenter petuntur. Istam quisquis habuerit,  
omnia quæ vult habebit, nec aliquid ibi velle  
habere poterit, quod non decebit. Ibi quip-  
pe est fons vitæ, quem sitire nunc oportet  
in oratione, quamdiu in spe vivimus, & quod  
speramus nondum videmus, in protectione  
alarum ejus, ante quem est omne desiderium  
nostrum, ut inebriemur ab ubertate domus  
ejus, & torrente voluptatis ejus potemur:  
quoniam apud eum est fons vitæ, & in lu-  
mine ejus videbimus lumen: quando satiabi-  
tur in bonis desiderium nostrum; & nihil erit  
ultra quod gemendo quæramus, sed quod  
gaudendo teneamus. Verumtamen quia ipsa  
est pax, quæ præcellit omnem intellectum,  
etiam ipsam in oratione poscendo, quid ore-  
mus, sicut oportet, nescimus. Quod enim sic-  
ti est cogitare non possumus, utique nesci-  
mus; sed quidquid cogitanti occurrerit, ab-  
jicimus, respuimus, improbamus, non hoc  
esse quod quærimus novimus, quamvis illud  
nondum quale sit, noverimus.

Psal. 35. 9.

28. EST ergo in nobis quædam, ut ita  
dicam, docta ignorantia, sed docta spiritu  
Dei, qui adjuvat infirmitatem nostram. Nam  
cum dixisset Apostolus: *Si autem quod non  
videmus speramus, per patientiam exspec-  
tamus*; ibi subjecit: *Similiter & Spiritus  
adjuvat infirmitatem nostram. Quid enim  
oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spi-  
ritus interpellat pro nobis gemitibus inenar-  
rabilibus: qui autem scrutatur corda, scit  
quid Spiritus sapiat, quia secundum Deum*

CAPUT  
XV.

Rom. 8. 25.

*interpellat pro sanctis*. Quod non sic est intelligendum, ut existimemus sanctum Spiritum Dei, qui in Trinitate incommutabilis Deus est, & cum Patre & Filio unus Deus, tamquam aliquem qui non sit quod Deus est interpellare pro sanctis. Dictum quippe est: *Interpellat pro sanctis*; quia interpellare sanctos facit: sicut dictum est: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum*; hoc est, ut scire vos faciat. Interpellare itaque sanctos facit gemitibus inenarrabilibus, inspirans eis desiderium etiam adhuc incognitæ tantæ rei, quam per patientiam exspectamus. Quomodo enim narratur, quando desideratur, quod ignoratur? Nam utique si omni modo ignoraretur, non desideraretur: & rursus, si videretur, non desideraretur, nec gemitibus quæreretur.

Deut. 13. 3.

CAPUT  
XVI.

29. HÆC omnia considerans, & siquid aliud de hac re tibi Dominus insinuaverit, quod vel mihi non occurrit, vel dici à me longum fuit, concerta in oratione vincere hoc sæculum, ora in spe, ora fideliter & amanter, ora instanter atque patienter, ora sicut vidua Christi. Quamvis enim ad omnia membra ejus, hoc est, ad omnes qui in eum credunt, & ejus corpori sociantur, sicut docuit, orare pertineat; specialiter tamen diligentior cura orationum in Scripturis ejus viduis invenitur injuncta. Nam duæ fuerunt Annæ honorabiliter nominatæ, una conjugata quæ sanctum Samuëlem peperit: alia vidua quæ sanctum sanctorum, cum adhuc infans esset, agnovit. Oravit & conjugata in dolore animi & afflictione cordis, quia filios non habebat: tunc ipsum Samuëlem impetravit, & acceptum Deo reddidit, quia cum posceret,

1. Reg. 1. 2.

Lucæ 2. 36.

1. Reg. 1.  
11.

VO-

vovit. Sed oratio ejus quomodo ad orationem illam dominicam pertineat, non facile reperitur, nisi quia in eo quod ibi positum est: *Libera nos à malo*; non parvum malum videbatur, & nuptam esse, & fructu carere nuptiarum, cum sola excuset nuptias procreandorum caussa filiorum. De illa verò Anna vidua vide quid scriptum sit: *Quia non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die*. Nec aliunde Apostolus, quod & supra commemoravi: *Quæ autem verè vidua est, inquit, & desolata speravit in Domino, & persistit in orationibus nocte ac die*: & Dominus cum semper ad orandum, & non deficiendum nos hortaretur, viduam commemoravit, quæ licet iniquum & impium judicem ac Dei & hominum contemptorem, ad audiendam causam suam assiduè interpellando convertit. Quam ergo præ ceteris viduæ debent vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quod omnibus ad suscipiendum orandi studium de viduis propositum est exhortationis exemplum.

Mat. 6. 13.

Lucæ 2. 37.

1. Tim. 5.

5.

Luc. 13. 1.

30. Quid autem in hoc operis genere in viduis electum est, nisi destitutio & desolatio? Quapropter si se omnis anima intelligat in hoc sæculo destitutam atque desolatam quamdiu peregrinatur à Domino, profectò quamdiu viduitatem suam Deo defensori assidua & impensissima precatione commendat. Ora ergo ut vidua Christi, nondum habens ejus conspectum, cujus precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora. Nondum enim veras futuri sæculi divitias habes, ubi nulla damna formides. Licet habeas filios & nepotes, numerosamque familiam, quod & supra dictum est, sicut desolata ora: incerta sunt

L 2

enim

enim omnia temporalia etiam usque in finem vitæ hujus in nostram consolationem mansura. Tu autem si ea quæ sursum sunt quæris & sapiis, æterna & certa desideras, quæ quamdiu nondum habes, etiam salvis omnibus atque obsequentibus tuis, tamquam desolatam deputare te debes. Et si tu, profectò etiam tuo exemplo religiosissima nurus tua, & aliæ sanctæ viduæ virginesque sub vestra cura securiùs constitutæ: quantò enim magis domum vestram piè tractatis; tantò impensius orationibus instare debetis, rerum præsentium non occupatæ negotiis, nisi quæ flagitat causa pietatis.

31. Sanè meminertis & pro nobis non negligenter orare. Nolumus enim sic nobis honorem quem periculosum gerimus defertis, ut adjutorium, quod necessarium novimus, auferatis. A familia Christi oratum est pro Petro, oratum est pro Paulo; & vos in ejus familia esse gaudemus, & incomparabiliter plusquam Petrus & Paulus orationum fraternalium auxiliis indigemus. Orate certatim concordia sanctoque certamine: non enim adversus alterutrum certatis, sed adversus diabolum sanctis omnibus inimicum. In jejuniis & vigiliis, & omni castigatione corporis quamplurimum adjuvatur oratio. Faciat quæque vestrum quod poterit: QUOD ALTERA minus potest, in ea quæ potest facit, si in altera diligit, quod ideo quia non potest ipsa non facit: proinde quæ minus valet, non impediatur plus valentem, & quæ plus valet, non urgeat minus valentem. Conscientiam quippe vestram Deo debetis: nemini autem vestrum aliquid debeatis, nisi ut invicem diligatis. Exaudiat te Dominus, qui potens est facere supra quàm petimus aut intelligimus.

S.



S. AUGUSTINI EPISCOPI  
DE UTILITATE JEJUNII,  
SERMO.

I. DE Utilitate jejunii admonemur aliquid loqui; & Deus admonet, & tempus nos admonet. Hæc enim observatio, hæc virtus animi, hæc fraudatio carnis, & lucrum mentis ab Angelis non exhibetur Deo. Ibi enim omnis est copia & sempiterna securitas: & ideo nullus defectus, quia in Deum plenus affectus. Ibi panis Angelorum: quem panem Angelorum ut manducaret homo, factus est homo. Hic omnes animæ terrenam carnem portantes, de terra implent ventres: ibi spiritus rationales cælestibus corporibus præsidentes de Deo implent mentes. Et hic cibus est, & ibi cibus: sed cibus iste cum reficit, deficit, & sic implet alvum, ut ipse minuatur; ille autem & implet, & integer permanet. Hunc cibum nobis esuriendum Christus indixit, dicens: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Pertinet ergo ad homines hanc vitam mortalem gerentes, esurire ac sitire justitiam: impleri autem justitiæ ad aliam vitam pertinet. Hoc pane, hoc cibo pleni sunt Angeli: homines autem dum esuriunt, extendunt se; dum se extendunt, dilatantur; dum dilatantur, capaces fiunt; capaces facti suo tempore replebuntur.

CAPUT I.  
Jejunium  
Deo exhibere hominum est, non Angelorum.

Mat. 5. 6.

L 3

a Recensetur à Possidione in Indiculi capite 8.